

Cap. CLXXIX.

CAP. CLXXIX

Demum / anno sequenti MCCXXV / comes Rogerius filius comitis Guidonis Guerre,
apud monasterium Sancti Benedicti de Monte Cassino , ab Imperatore de Apulea rediens,
naturae concessit , et juxta dominum Guillielmum regem Apulie , et dominum Tan-
credum regem eum honorifice , in marmoreo sarcofago , cum eis sepelierunt.

Quando Faventini renovaverunt iuramenta Societatis Lombardide.

CAP. CLXXX.

Anno Domini m^cc^xxvi omnes fere Lombardi contra Imperatorem coniuravere, se invicem iuvatu^ros [a], dummodo Imperator vel eius nuncius aliquem vellet pertractare iniuste (104). 11

*Quando imperator Fredericus venit Ravennam, et ivit
in Lombardiam apud Parmam.*

CAP. CLXXXI.

Sub anno a Virginis partu MCCXXVI, dominus imperator Fredericus, de Apulea re-diens, in civitate Ravennae per v resedit hebdomadas [b]; ad quem multi de Italia convenerunt principes, inter quos aderant [c] et nostri comites atque comitatini [d], in destructionem suae matris super omnia sistentes; Teutonicorum vero, Apuleorum, Marchianorum et Urbinatum ingens affuit multitudo; Rainerius de Carpigna cum sua fortia, Rainerius de Ravaldino cum sua fortia, Ariminenses cum toto eorum comitatu integriter [e], Bonus comes [f] cum sua fortia, licet invitatus [g], Ravennates integriter cum toto eorum districtu, cum castellanis et hominibus archiepiscopi, Cervienses cum eorum episcopatu, Livienses cum eorum episcopatu, licet invitati [h], Forumpopilienses cum Bretenoribus et toto eorum comitatu, Chesenates cum toto eorum episcopatu, super omnia ad mortem dolentes, Saxenates integriter cum toto eorum episcopatu, comes Guido Guerra, comites Castricarii cum eorum districtu, Galiatenses cum sua fortia, Rochi et Raibi [i] cum eorum fortia, comites Malvicini

[a] *invicem iuvaturos*, Sic Codd.—[b] *per v resedit hebdomadas*, C. M.; *per iv resedit hebdomadas*, C. V.—
[c] *inter quos aderant*. Sic lego; *inter quos adherant*, C. M.—[d] *atque comitatini*. Sic lego, et sic C. M.;
atque comitatus, C. V.—[e] *comitatu integrerit*. Sic legit cl. Mitt. In Codd. M. et V., *comitatu regt*. An
legendum regentes? — [f] *Bonus comes*, Cl. Mitt. Codd., *habent: Bonus comes comes*. — [g] *licet invitus*.
Sic lego. Codd., *licet invictus*. — [h] *licet invitii*. Sic lego. Codd., *licet invicti*. — [i] *Rochi et Raibi*.
Rochi et Balbi corrigit Codd. cl. Mitt.